



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 14. Periculosum diuitiarum pondus abijciendum esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

*Cordis oculis videte. Mortuus est, & ablatu-
est ab Angelis in sinum Abrahae, familia diuiti-
videbatur plangens, Angeli non videbantur
gaudentes. quid ergo respondet diuiti Abraham?
memento, fili, quia percepisti bona in vita tua.
Nihil bonum putasti, nisi quod in ista vita habui-
sti. Accepisti bona, sed transferunt dies, & totum
perdidisti, & torquendus in Inferis remansisti.*

§. XIV.

*Periculosum diuitiarum pondus abijcien-
dum esse.*

Si ita diuites laudantur, quis non malit
esse pauper? qui, ut securius coram latrone
cantat, quia est vacuus, neque timet spo-
lijs insidiantem; ita expeditius currit, per
ardua, ad caelum. Et verè S. Bernardus ait:
*Camelus unum solum pondus habet, dines duo;
unum terrenarum possessionum, aliud pecca-
torum. Primum in morte deponitur, aliud ve-
lit nolit moriens retinet, nisi ante mortem de-
ponat. Immò & primum retinet, quia eti-
amsi diuitiae morientem deserunt, non de-
ferit tamen pondus diuitiarum. Grauat
enim eum adhuc aes alienum, grauant depo-
sita, grauant doli & fraudes, quibus pecuni-
am aliasque res proximi interuertit; gra-
uat denique onus restitutionis. Quibus tot
ponde-*

ponderibus pressus in infernum submergitur, quasi plumbum in aquis vehementibus. Hoc est enim talentum plumbi, & massa plumbea, quam vidit Zacharias in os mulieris proijci. Aurum enim atque argentum, quod auaritia deuorat, quasi metallum animam grauat. Qua de causa, alibi dicitur: *Collegisti quasi aurichalcum aurum, & ut plumbum complesti argentum.* Qui hostem fugit, omne onus, etiam hastam, etiam gladium, etiam scutum abiicit. In periculosa nauigatione, qui cum D. Paulo uehebantur, *satiati cibo alieniabant nauem, iactantes triticum in mare.* Fugimus capitalem humani generis inimicum: ad caelestem portum nauigamus, surgunt procellae, periclitamur, & grande naufragium animae nostrae instat; nec adhuc plumbum diuitiarum abiicimus, & ire in mare Creticum iubemus? Si sapimus, cum Philosopho, id facimus. Melius est nostra, quam nos perire. Et in via, quae nobis sunt onerosa, libenter damus alijs portanda. *Superflua,* ait S. Chrysostomus, *quaeque amputa, & fac pauperibus supplementum: nam si calceamenta quis supra mensuram pedibus adegerit, itinere certe prolixiore sentiet impedimenta; & vestimentum induens corporis staturam excedens,*

Exod. 15.
10.

Zach. 5.70

Eccl. 47.
20.

Act. 27.
38.

S. Chryso.
homil. 7.
de poenit.

eodem

eodem implicabitur modo. Quod si superfluum ubiq; inutile est, in pecunia fortius multo; & qui supra quod satis est, habent, non modo in ipsa sufficientia, sed in quibusdam necessarijs impediuntur. Nam qui de foris in agone currunt, & ipsa exuunt vestimenta, viam verò in calum ferentem, & eandem arctam, & arduam, tot cum impedimentis, quo modo poteris ambulare? Vt loci enim, & expedito cuiquam panem impossibile est consequi salutem. Quemadmodum ergo, qui in altis sunt specibus, à fulmine non feriuntur; ita infima fortuna tutissima est: ab auditione mala non timebit. Quæ est auditiõ mala? quod fulmen illud? *Discedite à me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.*

Psal. III.
7.
Matth,
25.41.

CAPVT IX.

Qualis diuitum, qualis pauperum mors esse soleat?

§. I.

Pauperum mors pretiosa, diuitum pessima.

I vlla res est, quæ paupertatē commendat diuitiasque odio dignas facit, mors ea profectò est; nã eam pauperes læti expectant, & sæpe etiam optant.